

EMBLEMA V.  
FORTUNA VITREA EST.



Aspicias ecce globos, queis prosperaqueque volutat  
Queis Fortuna rotat tristia, leta simul.  
Sive tenes, metuas: pernicibus evolat alis  
Sive caves, fugito: vitrea, fracta ruit,  
Vitrea subjicitur quantis Fortuna periculis;  
Frangitur heu brevius, dum micat illa magis.  
O Fortunati, fragili ne credite vitro:  
Fidite virtuti, frangier ista nequit.

COMMENTARIUS.

**P**ergam porrò, & quoniam de fortunæ lusibus agere cœpi, omnes rursus Principes monitos velim, numquam sibi majus periculum imminere, quàm cum cæca hæc & lubrica seu ludrica Dea, ipsos in majus, altiusque fastigium extulerit. Non solum quia, ut Ovidius (a) inquit,

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,

Et manet in nullo firma, tenaxque loco;

Sed modo leta manet, vultus modo sumit acerbos,

Et tantum constans in levitate sua est.

Cum quo Seneca (b), Horatio (c), & alii, de Regnis, & regibus agentes, passim conveniunt, inquentes: Præcipites Regnum casus Fortunam rotare.

2 Verum quòd suo favore, & splendore, eorum, quibus adridet, mentes, atque oculos excæcat: & ita frequenter superbos, & insolentes reddere solet, ut meritò dicere potuerit Salomon (d)

Pros-

(a) Ovid. lib. 5. de Tristibus.

(b) Senec. in Agam.

(c) Horat. lib. 1. Od. 35.

(d) Salom. Prov. 1. 32.

Prosperitas stultorum perdit illos. Laberius (e) in Mimis,  
Fortuna quem nimium fovet, stultum facit.  
Et Fortuna vix colit virtutem prospera.

Plinius (f), quòd ut hedera complexu arbores necat; it Fortuna prospera, dum blanditur, strangulat, & perdit.

3 Et vel in Adagium transierit, Fortuna reddit insolentes. In cujus explicatione miror Erasmus (g) sicco pede transiisse, cum innumeris exemplis, & bonorum Auctorum testimoniis hoc comprobare, & illustrare posset, quæ copiosè aliqui Recentiores (h) adducunt. Inter quæ, dignum relatu est illud Virgilii,

Nescia mens hominum, fati sortisque futura.

Et servare modum, rebus subita secundis.

Epitesti, Felicitate, non secus ac ebrietate quadam, jus satis plenus imprudens, imprudenter efficitur. Halicarnasæi (i): Nimia felicitas homini est periculosa, & detrimetosa, hæc etenim multis insanæ superbix est causa. Taciti (k): Felicitis in malo ingenio avaritiam, superbiam, ceteraque occulta mala patefacit. Et rursus (l) sub Givæ persona: Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miserix tolerantur, felicitate corrumpimur. Latinus Pacatus (m): Nam cum indiscreta felicitum pedissequa sit superbia vix cuiquam contigit, & abundare Fortuna, & indigere arrogantia. Quem locum æmulatus Sallianus (n), Pedissequa (inquit) novi honoris est superbia; & latius eandem sententiam alibi (o) exprimens: Quotusquisque Sapientum est, quem secunda non mutant, cui non crescat cum prosperitate vitiositas: non una certè nec unius generis: & felix ille ambitionis successus ceteris sic aspernatur, ut sibi unum totum hoc Fortunæ beneficium deberi, & in omnium oculos incurere oportere, reliquis omnibus abdicatis, existimet.

4 Quapropter D. Chrysostomus (p) rectissimè docuit, sæpè solere felices rerum successus majora mala facere, quàm res adversas; & Guiciardus (q) cum vulgò dicere potuit: Nimia felicitate homines majorem hostem non habere: ea enim effrenatos, sui que præfidentes, ad malum audaces, & proprii commodi novis rebus turbandi cupios facit. Quod & Phædrus (r) præclara fabula ostendit, cui titulus, Quòd successus ad perniciam multos devocat.

5 Quibus conveniens Hector Pintus (s), ait: Quòd quemadmodum Luna non patitur eclipsem, nisi cum plena est; sic homines tunc maximè solet obscurari, cum se divitiis, & altis Fortunæ bonis plenos conspiciunt. Et D. Hieronymus (t) explicans illud Davidis, qui de eisdem felicibus dixit, Idèd tenuit eos superbia, operati sunt iniquitate; addit, Per arrogantiam felicitatis, multiplicata iniquitate premuntur.

6 Quod divus etiam Ambrosius (u), his verbis expressit: Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum: supinat, extollit, oblivionem Auctoris infundit. Ubi Supinat verbum, (ut bene quidam Modernus (x) advertit) ideò positum est, quia qui rebus prosperè fluentibus, per superbiam eriguntur, iidem, per quandam ad divinum obsequium ignaviam, atque desidiarum supinantur, præcipitanturque: vigeant ad audenda mala; ad exequenda bona quodammodo flaccescunt. Denique eam in derentiam erumpunt, ut terrena felicitatis participes esse malint, quam divinæ; hanc enim illa aspernantur, ac Deo dicunt (y) Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, quis est enim Omnipotens, ut serviamus ei?

7 Atque hinc descendit, quod D. Augustinus (z) tradit, Magnæ scilicet virtutis esse, cum felicitate luctari; magnæ felicitatis à felicitate non vinci. Cum quo sentiens D. Bernardus (a), loquens de Davide, & Salomone, qui in hoc periclitari leguntur, sic habet, Sapiens David, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus; alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus, cui præsens felicitas, si arrisit, no irrisit. Eam alibi rationem addens (b), quod licet multos frangat adversitas, multo plures exallit prosperitas.

8 Hancque virtutem, seu magnanimitatem in suo Casiodoro (c) laudans Rex Theodoricus, ita

(e) Laber. in Mimis.

(f) Plin. lib. 16. cap. 35.

(g) Erasm. in Adagiis, pag. mibi 584.

(h) Mendoza 1. tom. Reg. pag. 148. & seqq. Camer. 1. tom. successio, pag. 247. Savat. ad Sidon. pag. 273. & seq. Files. 2. select. cap. 7.

(i) Halicarn. lib. 8.

(k) Tacit. in Annal.

(l) Idem 1. Hist.

(m) Pacatus in Paneg. ad Theodos.

(n) Sallian. in Epist. ad Eucher.

(o) Idem lib. 7. de gubern. Dei.

(p) D. Chriost. in Psalms. 9.

(q) Guiciard. lib. 14. Hist.

(r) Phæd. in Fabulis.

(s) Pint. in Ezech. cap. 17.

(t) D. Hieron. supra Psalms. 72. num. 6.

(u) D. Ambros. lib. 2. de interp. in Job, cap. 5.

(x) Mendoza 1. tom. in lib. Reg. pag. 154.

(y) Job 21. 14. & 15.

(z) D. August. serm. 13. de verb. Dom.

(a) D. Bernard. lib. 2. de Considerat. ad Eug.

(b) Idem Serm. 3. in Domin. Palmar.

(c) Cassiod. lib. 1. epist. 4.

ita de eo sermocinatur, Nullo quippe, ut plerisque moris erat, elatus favore Fortune, in coturnum se magnæ potestatis erexit. Et Sidonius (d) Apollinaris ad felicem scribens, amplissimæ dignitatis infulas conquitum, hoc præcipue in eo extollit, quod illis non fuerit in superbiam elatus, sic iquiens: Invenis tamen vir amicitiarum servantissimè, qualiter honorum tuorum crescat immuniōne fastigium, raroque genere exempli, altitudinem tuam humilitate sublimas. E in idem ipsum respiciens in Epitaphio Aviti, ita habet (e),

Nec tamen summum culmen tu nefactus honoris  
Erigitur, que ipse aliis plus æstimat, imò  
Subjicitur magnus, servat mediocritia Summus.

9 In quo imitari videtur Symmachum (f); quatenus alibi pariter dixit, *Compertum habeo, qualibet honorum culmine animum tuum non solere mutari*; & Claudianum (g), ita de suo Theodoro canentem;

Nec que comitatur honores  
Ausa tuam levis tentare superbia mentem  
Frons privata manet.

Et iterum (h) laudans Stiliconem,

Nec prospera flatu  
Attollunt imios: quin ipsa superbia longe  
Discessit, citium rebus solemne secundis.

10 Divus quoque Petrus Chrysologus (i) Adelphum Episcopum multis laudibus effert, & inter maximas ejus virtutes, illam præcipue numerandam inquit, *Que contempto obsequii sui fastu, despecta magnæ domus reverentia, calcato etiam suæ fastigio potestatis, & objecta opum, suarum æterna conscientia, unde tumor maximus humanis dominatur in mentibus, ad vilissimas opis se inclinavit angustias, ut suo pauperem contubernio sublimaret.*

11 Omnes sanè justissimè, qui, ut diximus, quemadmodum Tacito (k) docente, *Difficile est servare ex sapientia modum*, ita, secundum Salisberiensem, (l) difficillimum, *Ut gradus honoris tumorem non pariat in animo imprudentis*; cum & prudentissimos interdum & sapientissimos supinare soleat, ut suo exemplo nos admonent Saul, qui cum esset parvulus in oculis suis, caput in tribubus Israël factus est, ut sacra Scriptura (m) testatur. Cum verò magnus sibi videri cœpit, & de prosperis rum successibus inaniter gloriari; debitam Deo obedientiam, & reverentiam denegavit. David, quoniam locis ac focus pulsus, Deum inquirebat: Sceptro, & solio donatus, alienum thorum violavit (n). Salomon, qui dum ad supremam sapientiæ, potentia, & opulentia fastigium erigit, in infimum quoddam cœcitatibus, & infirmitatis, atque impietatis barathrum se ipsum præcipitavit (o). Joas, qui prosperis rerum successibus elatus, & adulatoris suorum obsequiis delinuit, à prima illa divina legis observantia, quam sub Jojada tenuerat, defecit, & parem se Deo facere voluit (p). Ozias, de quo eadem sacra Pagina (q) inquit, *Quod cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum*. Ezechias, qui d hostibus victor, de morbo sanatus, claris de celo prodigiis, magnam in spem erectus, sic intumuit, ut suas omnes divitias Babyloniis Legatis inaniter ostentaret; majorem fortassè in superbiam proditurus, nisi ab Isaia gravissimi comminatione supplicii refranaretur (r).

12 Longum quidem esset hos Israëliti populi Reges recensere, qui blandientibus secundis rebus elati, in similes insaniam, imò qualibet insaniam deteriorem scelerum voraginem, corruerunt. Eademque felicitas, ut aliqua profana quoque exempla tangamus, in causa fuit Philippo Macedoni, Alexandro ejus filio, Xerxi, & aliis quam plurimis, ad Divinitatis honorem præsumendum. Caligulæ, in eam vecordiam deveniendi, ut Suetonio (s) narrante, palam cum Jovi statua Homericis versibus loqueretur, ac plenam, & fulgentem Lunam in amplexus invitat. Neroni, ut juxta eundem Suetonium (t), paulatim invalescentibus vitis, jocularia, & latebras omiserit, nullaque dissimulandi cura, ad majora palam erumperit, & se Deum faciens, vel reputans, a missis naufragio pretiosissimis rebus, non

(d) Sidon. lib. 2. epist. 3.  
(e) Idem in Epitaph. Aviti.  
(f) Sym. lib. 8. epist. 1.  
(g) Claudian. in Paneg. Theod.  
(h) Idem Paneg. 2. de laud. Stilic.  
(i) D. Chrysost. serm. 136.  
(k) Tacit. in vita Agric. cap. 4.  
(l) Salisber. in Policr.

(m) Reg. 1. cap. 1. num. 17. & seqq.  
(n) Lib. 1. Reg. cap. 11. à num. 2.  
(o) Lib. 3. Reg. cap. 11. à num. 1.  
(p) Paralyp. 24. 27.  
(q) Paralyp. 26. 16.  
(r) Lib. 4. Reg. cap. 20. num. 16.  
(s) Suet. in Caligul. cap. 22.  
(t) Idem in Nerone cap. 27. & 4.

non duxerit inter suos dicere, pisces eas sibi relatueros. Et Simonidi, ut Ælianus (u) recenset; ad consulendum Pausania, nimia felicitate superbienti, ut meminerit se hominem esse, id est multis miseris, & Fortune variationibus expositum. Quod cum Pausanias tunc contempnisset, paulò post fame periens, verissimum esse agnovit, & magnis ejulatibus prædicavit.

13 Cum ergo (ut ex supradictis apparet) hoc toxicum Principibus viris, felicibus rerum eventibus, tamquam secundis à tergo auris promotis, Fortune propinet, nullum aliud commodum, præsentiusve antidotum illis exhibere potui, quam hoc, quod præsentis Emblemate delineavi, ex ejusdem Fortune instabilitate, ac fragilitate desumpto, ut quos ipsa suo morsu superbos, efferos, & rabidos fecerit, illius pilis, pinnisque conspectis, (ut in canibus accidit) sanitatem mentis recipiant, discantque, quam stultè, ob hujus prosperos flatus superbiant, quæ eadem in Nemesi sive Rhamnusia Deam mutari solet, quam Ethnici insolentia, & arrogantia vindicem effigebant, quod spes immoderatas & vetet & puniat, ut Erasmus (x), Giraldus (y), & alii (z) literis prodiderunt. Quæque occasionem Periandro (a), uni ex septem Græciæ Sapientibus, dedit, ut diceret, *Si Fortuna juvat, caveto tolli; si Fortuna tonat, caveto mergi*. Aristoteli (b), ut doceret, *Quanto major Fortuna est, tanto minus secura*. Nec se ita cuiquam tradidit, ut licet manus porrigat, pinnas, quibus avolare consuevit, comprehendere sinat, ut pulchrè Quintus Curtius (c) scripsit.

14 Hinc natum est, ut à veteribus Poëtis, & aliis Auctoribus, *Mutabilis, Lubrica, Velox, Dubia, Fugax, Inevitabilis, Cæca, Acerba, Improba, Dura, Truculenta, Versuta, Inanis, Fallax, Æsturia*, & mille aliis epithetis, inconstantiam ejus denotantibus, donata fuerit, quæ apud Ravisium Textorem (d) videri possunt.

15 Nec paucioribus simulachris, Ideis, ac Hieroglyphicis, in ea fingenda, vel pingenda, uti solent. Nam ut Plinius (e), Pausanias (f), & alii (g) recensent, Bupalus Architectus & Plastes in signis, Smyrneis Fortune signum omnium vetustissimum finxit primus, capitique populum imposuit; altera manu cornu Amaltheæ tenentem fecit, quasi omnia ex ea pendere significaret; licet Hadrianus Junius (h) eisdem Smyrneis (nescio qua de causa) non illam, sed hanc figuram attribuat,

Stare loco nescia certo Sors lubrica, sedes

Querere docta novas.

Hinc pedibus mutilam, & subnixam remige penna,  
Smyrna Deam posuit.

16 Artemidorus (i), cylindro tereti insistentem, eandem Fortunam finxit. Apud Cebetem Thebanum in Mystica sua tabula, super rotundum lapidem sedens, cæca & alata conspicitur, & surda, atque insana vocatur. Alii, cum quibus Lactantius (k), cum copiarum cornu, & navis gubernaculo eam designabant, ut qui opinarentur, & opes, & humana imperia largiri, sive, ut ait Livius, in rebus omnibus dominari. Dion Chrysostomo (l), huic globo, & cornu, vel gubernaculo, novacula sub pedibus additur, ad felicitatis præcisionem denotandam.

17 Fuit & in Ægea urbe Fortune simulachrum, gestantis similiter Cornucopiæ, juxta quod Cupido erat alatus. Quæ re significari putat Pausanias (m), ea etiam, quæ ad amorem pertinent, Fortuna, magis quam pulchritudine, mortalibus succedere. Alii (n) eam velo adornatam, roteque volubili insistentem effigebant, à tergo larvatam, vultuque torvo, fronte vero blandiente. Alii in equo velocissimo constituerunt, quam currentem, Fatum intenso arcu insequebatur, sic ejus instabilitatem, pernicitatemque significantes, & quod vi fati semper perageretur. Alii, ut inquit Giraldus (o), inter maris undam velificantem. Alii in saxi, aut montis cacumine ventis expositam. Plerique rote insistentem. Scytæ verò sine pedibus, ut manus tantum & pennas haberet, instar avium quas Apodas vocant, quod pedibus careant, ut Plinius (p) scribit. Quinimò truncis quoque manibus aliquando confictam, Achilles Bochius (q) commemorat, & hujus picturæ significationem exponit. Romani, juxta varias, quas ei indiderunt nomenclaturas, varias etiam ejusdem ideas commenti sunt, quas longum esset recensere.

D

Sed

(u) Ælian. de var. hist. lib. 9. cap. 41.  
(x) Erasm. in Adag. Adrastia Nemesi, pag. 725.  
(y) Girald. de Div. Gent. Syntag. 17. pag. 476.  
(z) Nat. Comes in Myol. pag. 1022.  
(a) Periand. apud Avion. in di. sept. Sapient.  
(b) Arist. lib. 8. Etic.  
(c) Curt. lib. 5.  
(d) Text. in Epithet. verbo Fortuna.  
(e) Plin. in Proem. ad Vespasian.  
(f) Pausan. in Mercuricis.  
(g) Giral. Syntag. 16.

(h) Junius Emblem. 26.  
(i) Artem. de Som. interp. lib. 2.  
(k) Lactantius lib. 8. div. inst. cap. 8. vide Adag. Fortuna, sive Herculis cornu inter Adagia Erasmi, pag. 264.  
(l) Dion. Chrysost. Orat. 63.  
(m) Pausan. in Atticis.  
(n) Girald. di. Syntag. 16.  
(o) Plin. de Div. Gent. di. Syntag. 16.  
(p) Plin. lib. 20. cap. 39.  
(q) Bochius Sym. 121.

18 Sed communius in illam consenserunt, quam Pacuvius apud Ciceronem in Rhetoricis, sequentibus Carminibus refert, quæ multum meritò laudant Petrus Crinitus (r), & Joanes Filesacus (s), utpote in quibus venustè & eleganter, tota vis, & potestas Fortunæ, ejusque ludibrium, de quo agimus, exprimitur:

*Fortunam insanam esse & brutam perhibent Philosophi,  
Saxique ad instar globosi prædicant esse volubilem:  
Quia quo saxum impulerit fors, eò cadere Fortunam autumant.  
Cæcum ob eam rem esse vocant, quia nihil cernat, quò se applicet.  
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.  
Brutam, quia dignum, aut indignum nequeat inter noscere, &c.*

19 Apellès autem, contra omnium opinionem, illam sedentem finxit. Rogatus cur ita faceret? Quia (inquit) numquam stetit, ut Stobæus (t), & alii (u) recensent, & latius ceteris Pierius Valerianus (x), alia simul circa ipsius ideas, ac picturas adducens.

20 Nos verò in hac nostra, (ut vides) hæc ferè omnia complexi, globos alatis pedibus, ac brachiis subponimus, rotam manui inserimus; & totam ipsam vitream esse representamus, ut instabilitati fragilitatem præ aliis addamus; & Principes, qui ejus splendore superbiunt, & efferuntur, quàm is sit fallax, fugaxque, & facili collisioni subjectus, monitos faciamus. Præcipuam hujus picturæ ansam ex illo Laberii (y) Mimographi Senariolo desumentes:

*Fortuna vitrea est, tum, cum splendet, frangitur.*

Cui arridens Cicero (z): *O fallacem (inquit) hominum fragilemque Fortunam! Et Seneca (a): Numquam in solido stetit superba felicitas: & ingentium Imperiorum magna fastigia, oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt. Et iterum (b) de splendore loquens: Quid enim est, quod non fortuna cum voluit, & florentissimo detrabat? Quod non eò magis aggrediatur, & quatit, quò speciosius fulget? Ac rursus apud ejusdem Senecæ (c) Patrem Portius Latro, Omnis Fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor, & sine causa semper fluit, & sine ratione destituit.*

21 Placidia quoque, Imperatorem Theodosium (d) conjugem suum, ejusdem fragilitatis his verbis commonefecit: *Cogita te privatum hominem fuisse, atque nunc præceteris ad Romane Reip. gubernacula ascitum, non ut superbires, sed te hominem cogitares, variis, perinde ac subditi, fragilitatibus obnoxium.*

22 Et Justus Lipsius (e), ad vitrum etiam alludens, ita habet, *Sic sors incerta vagatur, fertque, refertque vices sortis humane. Vitrea fortuna est, mutantur Regna, pereunt opes licet magnæ, occumbant amici, cognati liberi, debemur morti nos nostraque, solumque sepulcrum superest, inculcata vita, & vitio carens.*

23 Neque abest Modernus Emblemarius (f), qui moris illius memens, quo Triumphantibus Romæ Imperatoribus, à tergo servus cum flagello ponebatur, qui eos, ne in tanto Fortunæ splendore superbirent, homines esse admonebat, & ut utriusque Fortunæ memores essent (de quo etiam præter innumeros alios, eleganter, & valdè ad rem nostram, agit Tertullianus (g) sic concludit,

*Fortunam reverenter habe; nam vitrea tota est,  
Conque nihil status firmius esse, ruit.*

Et alter (h), qui neminem ei fidere debere, cum adeò sit velox, ac fragilis, hoc carmine docet;

*Dum Nobis fortuna favet, blanditur, & offert  
Subsidium, nobis est metuenda magis.  
Illiusque bonis, dum arridet leta, fruamur:  
Hanc reperire quidem, non retinere licet.*

24 Quibus Ego addo, magis esse quam vitream; nam referente Plinio (i) didicimus, sub Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, quo illud flexibile, & infractum redderetur, & totam officinam cum artifice ejus abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Fortunam verò nullus usquam fuit, qui securam, & durabilem fabricare, vel si

(r) Crinit. lib. 1. de bon. disc. cap. 5.  
(s) Filesac. 2. select. cap. 8. ad fin.  
(t) Stob. serm. 130.  
(u) Max. Tyrius serm. 37.  
(x) Pierius in suis Hieroglyph. lib. 39.  
(y) Laber. in Mimis.  
(z) Cicero. 3. de Orat.  
(a) Senec. in Suas. cap. 37.  
(b) Idem Epist. 91.

(c) Senec. Pater contr. 1.  
(d) Euseb. Zonar. & alii in Theod. Homobon. de stat. hom. pag. 380.  
(e) Lipsius in lib. 1. de Constant., & in cent. 3. ad Belg. epist. 21.  
(f) Florent. Sconovius Emblem. 60. pag. 178.  
(g) Tertul. Apol. lib. 1. cap. 33.  
(h) Boissard. Emblem. 46.  
(i) Plin. lib. 36. cap. 25.

bi polliceri ausus fuerit. Nam etsi Romani, Athenienses, & alii, aliquando eam viscatam, vel aureis catenulis, vel compedibus alligatam, atque irretitam habuerint, ne ab eis aufugere posset, ut ex Diodoro Siculo, & aliis Hadrianus Junius (k) observat, & Romani aliqui Imperatores illis suis reliquisse legantur, ut Spartianus (l), & Capitolinus (m) commemorant, & in hunc morem respiciens Achilles Bochius (n), dum ait,

*Augustis olim in Talanis fortuna solebat  
Poni ab Romuleis Aurea Principibus.*

25 Longè tamen verius est, hoc in adulationem eorundem Principum fuisse confictum, nullosque inter homines esse, in quos illa suam inconstantiam, ac fragilitatem frequentius ac potentius ostendat, ut jam supra insinuavi (o) & innumeris propè testimoniis, & exemplis probare possem, nisi prolixus esse vererer, & de hoc argumento plurima passim apud plurimos (p) reperiantur, quorum jam aliqua delibavi. Extetque elegans ac legi dignus Petri Daniani (q) Tractatus, ubi luculenter de Scenica rerum humanarum varietate, & inconstantia, præsertim in Regibus, agit.

26 Quod etiam Seneca (r) Tragicus non minus bene ostendit, sic inquit,

*Quisquam ne Regno gaudet? O fallax bonum.  
Quantum malorum, quam fronte blanda tegis?  
Ut alta ventos semper excipiunt juga,  
Ripemque saxis vasta dirimentem freta,  
Quamvis quieti verberant fluctus maris:  
Imperia sic excelsa Fortune subjacent.*

Et iterum elegantissimè (s):

*Quicumque Regno fudit, & magna potens  
Dominatur aula, nec leces metuit Deos,  
Animumque rebus credulum letis dedit:  
Me videat, & te Troja; non unquam tulit  
Documenta sors majora, quam fragili loco  
Starent superbi; Columnen eversum occidit.  
Pollentis Asia, cælitum egregius labor, &c.  
Ego esse quicumque Sceptra, nisi vano putem  
Fulgore tectum nomen.*

27 Et hoc est, quod Ælianus (t), & alii (u) meritò in illo Dionysii secundi responso commendant, cum quo, cum aliquando convenisset Philippus Amyntæ filius, & in diversos sermones incidissent: Philippus inter alia Dionysium rogavit, quomodo cum tantum Regnum à parente accepisset, non id defendisset, & conservasset? Isque respondens, ait: *Non mirum est, quoniam cum reliqua mihi prater omnia reliquisset, fortunam solam, qua ea paraverat, & tutatus fuerat, mihi non tradidit.*

28 In idemque tendunt Scipionis Africani lachrymæ, incendium à se captæ & eversæ Carthaginis spectantis, simileque fatum in Romana urbe præagientis, ac deplorantis (x), *Quia nulla Imperia perpetua sint.* Qua etiam consideratione, & exemplo Servus (y) Sulpicius J. C. Marcum Tullium, in obitu filia Tulliae moestum, eleganter & graviter in quadam Epistola consolatur.

29 Et Cælius Rhodiginus (z), post Alexandrum ab Alexandro (a), illud Plutarchi (b) explicans, tradentis, apud Romanos, omnes qui nobilitate præstarent, luncolas in calceis gestare solitos, sibi videri ait, in hoc instituto, ad idem documentum, de quo loquimur, respexisse, quasi tacitis velut ambagibus commonerent; non insolescendum, nec prosperis rerum successibus efferendos animos, inconstantia earum semper memores, qua humana conflictantur: cui argumentum præbeat Luna, quæ primò quidem ex obscuro prodeat, mox splendido refluxens nitore, visenda consurgat facie. Sed cum jam clarissimam præferat candoris speciem, rursum consenescens, decrescit, donec ratione quadam reciproca, in nihilum denuo redeat. Quam eandem explicationem apud Xiliandrum (c) & alios (d) reperio, licet de Rhodigino mentionem non fecerint.

D 2

Ma-

(k) Jun. Emblem. 11.  
(l) Spart. in Severo.  
(m) Capit. in Anton.  
(n) Bochi. Symb. 23. & omnino Causin. in Polit. Symbol. lib. 2. cap. 27. 28. 29.  
(o) Erasim. in Adag. Omnium rerum vicissitudo est.  
(p) Camer. 1. tom. subcess. pag. 247. Filesac. 2. select. cap. 1. & seqq. Drexel. in Heliozop.  
(q) Pet. Dam. opusc. 57. cap. 7. & 8.  
(r) Senec. in Oedip.  
(s) Idem in Troad. Act. 1.  
(t) Ælian. lib. 12.  
(u) Brusson. lib. 2. cap. 37.  
(x) Valent. Foster. post alios, de hist. jur. civil. cap. 1. num. 2.  
(y) Serv. Sulpic. inter epist. fam. Cicero. lib. 4. epist. 5. omnino legenda.  
(z) Rhodig. lib. 20. cap. 28.  
(a) Alexand. lib. 5. cap. 18.  
(b) Plutarch. in quest. Roman. quest. 76. Minoes ad Alciat. Emblem. 136.  
(c) Guill. Xiliand. in anim. ad quest.  
(d) Rod. Plutar. pag. mibi 133. Bunhora. ibidem, & Maiol. in colloq. de sum. bono, pag. mibi 804. num. 3.

30 Maneat ergo piorum, ac prudentium Regnum mentibus insitum, caducis hisce ac fragilibus mundi bonis nequaquam insolescendum. Senecæque (e) illud memoria mandent:

*Quoque fortuna altius*

*Evexit, ac levavit humanas opes,  
Hoc se magis suppressere felicem decet.*

Et Claudiani (f) etiam dum de miserabili Rufini lapsu sermonem habens, hoc salutare monitum protulit,

*Desinat elatis quisquam confidere rebus,  
Instabilesque Deos, ac lubrica numina discat, &c.*

31 Quod idem valet ac istud, quod Nos hoc nostro Emblemate insinuare conamur, nempe splendentis, blandientisque fortunæ tumiditati, ex ipsius inconstantia, & virescunt fragilitate remedium esse petendum. Quo, qui se præmunire nescit, magis in prospera, quam in adversa periclitatur, ut satis ex supradictis apparet, & Demetrii (g) quoque Phalerei, multum apud Senecam decantati, celebri Apophthegmate comprobatur, qui ob hanc rationem dicere solebat, *Sibi nihil eo videri infelicitius, cui nihil unquam in vita accidisset adversi*. Severa namque res est solidum gaudium, proindeque Deus sæpè, quos amat, probat, indurat, recognoscit, exercet: molles, & fortunatos istos, quibus parcere putatur, & indulgere, venturis malis reservat: nec unquam sic lætis confidere vult, ut interim tristitia non præmeditentur.

32 Estque memorabile contra superbiam, & gestientem lætitiā, illud exemplum Epaminondæ (h), qui postridie ejus diei, quo feliciter in Leuctris pugnaverat, processit squalidus, & summissus: mirantibus, & percontantibus quibusdam, numquid mali contigisset? Nihil (inquit) sed heri sensi me bona fortuna delinitum, plus æquo mihi placuisse, ejus gaudii intemperantiam hodie castigo.

33 Philippi quoque Regis, multis pariter bonis nunciis allatis, nota vox est, aliquod sibi infortunium non valde magnum imprecantis. Nota etiam Pauli Æmilii oratio apud Plutarchum (i), filiorum suorum funeribus super felicem Persei victoriam mox consequitis. Nota Zenonis, audito rerum suarum naufragio sententia: *Fubet me Fortuna expeditius philosophari*.

34 Sed quid plurā conquirimus? Infinita sunt, & exempla, & argumenta, quæ huc congeri possunt, & vel ex solo Boëtio (k) deprimi, qui sub ipsius Philosophiæ persona latè in hoc discursu vagatur, & sine exceptione asserere audeat, omnem bonam prorsus esse fortunam, necessitateque alterius subeundæ imposita, præoptare se difficilem, & adversam; quòd in hac nulli unquam solatium defuerit, in altera multis sanum deesse consilium animadvertisset, & pronum, præceptisque in superbiam, & acerbos, ac calamitosos casus excidium: *Ille enim (addens) semper specie felicitatis, cum videtur blanda, mentitur: hæc semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat: illa fallit, hæc instruit; illa mendacium specie bonorum mentes fruendum ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis absolvit*. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram: *hanc sobriam, succinctamque, & ipsius adversitatis exercitatione prudentem*.

35 Quæ cum ita se habeant, stolidus erit, qui volentis hujus rotæ impetum se retinere posse præsumperit: nam si manere incipit, sors esse desistet, & pariter cum effectu nomen amittet, quod ei à volubilitate inditum Divus Isidorus (l) testatur, & Virgilius (m), Ovidius (n), Lactantius (o), & alii, qui in ea diffinienda, sive describenda latè versantur. Necnon & Monasticum illud: *Fortuna horæ unius centum annorum evertit glorias*.

36 Quod, cum in rebus omnibus certissimum esse, quotidianis exemplis admonemur, in Bellicis tamen ita frequens est, ut vel in Proverbium transierit:

*Fortuna ubique, at plurimum in bello valet.  
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.*

Quod post Livium (p), eleganter Erasmus (q), Jovianus Pontanus (r), Guiciardinus (s), & alii plures illustrent, & nos alibi prosequemur. Interim adnotasse contenti, ea propter semper laudatos esse, & providè ac sapienter agere visos, (ut Xenophon (t) pluribus probat) qui egregio aliquo patrato opere, victoriisvè, ac triumphis pro voto potiti, sæpius ancipitem hanc belorum aleam tentare recusant, ut in D. Imperatore nostro Carolo V. Maximo, aliqui Scriptores (u) considerant, dum se Mundo, Fortunæque subducens, ad Sancti Justi Hieronymianum Cœnobium, veluti in portum securissimum appulit, ibique Deo per annos aliquos vacans, tam

(e) Senec. Trag. 6.

(f) Claudian. lib. 2. in Rufin.

(g) Plut. in Demetr.

(h) Plut. in Epaminonda.

(i) Plut. in vita Paul. Æmil.

(k) Boet. lib. 1. de Consol. Pros. 4. & 8.

(l) D. Isidor. lib. 8. Erispurg. verbo Fortuna.

(m) Virgil. in cœm. de Fortuna.

(n) Ovid. in epist. ad Liviam.

(o) Laët. de fals. sap. lib. 3. cap. 20.

(p) Livius lib. 9.

(q) Erasm. in Adag. Omnium rerum vicissitudo.

(r) Jovian. Potan. lib. 1. Hist.

(s) Guiciard. Ego inf. Emblem.

(t) Xenoph. lib. 6. de rebus Græc.

(u) Lud. Dulcis in vita Carol. V. Sabel. in supplement.

ad suas Eneades, lib. 29. & alii.

tam in morte humilis, quàm in vita gloriosus, piam animam exhalavit; ejusdem fortè fortunæ mutationem, vel sentiens, vel cavens, ne tot ante partis victoriis officeret, quibus eam ita felicem expertus fuit, ut vel Famiano Strada (x) testante, *A nullo ferrè provocatus bello fuerit, quem non modo victum, sed (quòd rarò legitur) victum etiam, captivumque non viderit, & hoc memorabili elogio donari meruerit.*

*Hæssus, saxo, tuis capti, Gallusque triumphis:  
Bisque tuum fugies Solymanus inborruit ense.*

Nec minus justè eo, quod de Palladio loquens extulit Claudianus (y) his verbis:

*Despexit fremitus, & prætulit otia Regno,  
Respuit incestum, quod vi, quod poscere ferro,  
Post habita pietate solent. Non purpura primum  
Inferior virtute fuit, meruitque repulsam  
Obvia Majestas doluit Fortuna minorem  
Se confessa viro. Magnum delata Potestas,  
Majorem contempta probat.*

37 Etenim ut benè Seneca (z) sæpè à nobis laudatus, & semper laudandus admonuit, *Iniqua rarò maximis virtutibus Fortuna parit: nemo se tuto diu Periculis offerre tam crebris potest, Quem sæpè transit casus, aliquando invenit.*

38 Quod & ipsum eloquens ille Mondogniensis Episcopus (a) præstantissimo Duci Gundisalvo de Corduba, (qui ob tot egregia facinora, partasque victorias, Magni sibi Cognomen promeruit, & Hispaniæ nostræ gloriam mirum in modum auxit) in quadam Epistola ob oculos posuit, cum rursus Italiam repetere vellet, eadem Hispania relicta, in quam se jam, veluti rude donatus, & tot triumphis clarus receperat, sic scribens: *Pues siendo esto verdad, como lo es, no sería cordura, ni aun cosa segura, tornar otra vez de nuevo à tentar la Fortuna, la qual con ninguno se muestra tan maliciosa, y doblada, como con los que andan mucho tiempo en la guerra; como se vió en Hanibal, que por quererla forzar, y luchar con ella, vino à ser vencido de los Romanos, que él havia muchas veces vencido. Los que han de tratar con la Fortuna, banla de rogar, mas no forzar; banla de oír, mas no creer; banla de esperar, mas no de ella confiar; banla de servir, mas no enojar; banla de conservar, mas no de tentar: porque es de tan mala condicion la Fortuna, que quando alaga, muerde, y quando se enoja, hierde, &c.*

39 Et hæc hæcenus de Fortuna dixisse, aut verius tetigisse sufficiat; nam si omnia, quæ circa eam dicta sunt, vel dici possunt, comprehendere vellem (b), *Litoras citius aliquis numerabit arenas, Parvaque per densum volitantia corpora mundum, Et tenues per inane glovos, quàm singula circum Expediam.*

40 Cujus planè volubilitati, & fragilitati, crebrisque procellis, quibus humana omnia disturbat, & impetit (ut Seneca (c) ait) Sola socia Virtutis, ac Prudentiæ anchora objici potest, ut in ultimo hujus nostri Emblematis versu insinuamus,

*Fidite virtuti, frangier ista nequit.*

Et optimè prosequuntur Boetius (d), & alii, de quibus in Emblemate ab isto secundo, latiore sermonem inibo. Nunc pio (ut oportet) & Christiano animo, cum eodem Boetio (e) protestans, Me, dum *Fati*, ac *Fortunæ* vocibus utor (ut & plures non solum ex Sanctis etiam Patribus facere solent) non ob id ullam eis vim, aut Divinitatem inesse putare, vel Mundum hunc temerariis, fortuitisque casibus agitari. Verum etenim Deum operi suo Conditorum præsidere scio, & humana omnia divina ejus providentia gubernari: nec unquam fuerit dies, quæ me ab hac sententiæ veritate depellat; aut in Epicureorum aliorumvè Gentilium error inducat, qui cæci ipsi, cæcam Fortunam fixerunt, ac crediderunt, variis ipsam nominibus, templis, arisque colentes, & omnes ei nostrarum rerum casus, sive adversos, sive prosperos tribuentes, cum causas, quibus Deus moveri solet, percipere non valerent, & carneis oculis, tantum hæc terrena conspicerent, & pensarent. Quod benè D. Augustinus (f), Basilii Magnus, & alii sancti Patres, Pique Scriptores multis argumentis evincunt.

41 Et nec plures ex ipsis Ethnicis lauit, cum id palam Platoniorum Schola profiteretur,

ut

(x) Strada lib. 1. de bello Belg. Gasp. Gervat. in Pompa Ferd. pag. 29.

(y) Claud. in Epithalam. Pallad. & Celerine.

(z) Senec. in Hercul. Furcise.

(a) Anton. à Guevara in Epist. ad Gund. de Corduba.

(b) Cortesius in carmine de laudibus Matthiæ Corvini.

(c) Senec. de Cons. ad Mart. cap. 16. & de Tranq. cap. 9.

(d) Boet. lib. 1. de Consol. Metro 4.

(e) Boet. sup. Pros. 6.

(f) August. in lib. contra Academ. & de Civitat. Dei, lib. 18. & 19. & dicam infra Emblem. VII.

30  
ut Epictetus, Seneca & alii passim suis scriptis ostendant, & ante eos Orpheus, dum de suo Jove loquens, sic ait,

*Ipse malumque bonumque infert mortalibus, atque  
Ærumnas tristes; deinde & lachrymabile bellum.*

Theognis apud Natalem Comitem (g), idem insinuans, his verbis:

*Jupiter huc illic interdum pondera flectit,  
Nunc dat divitias, nunc dat habere nihil.*

Et melius Palamon Comicus, ipsis Fortunæ simulachrum his verbis excindens:

*Fortuna non est ulla, quam dicunt, Dea.  
Non est; sed unicuique si quid contingit,  
Casusque fit, Fortuna à nobis dicitur.*

42 Et hoc pacto accipiendum est illud Manilii (h):

*Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,  
Longaque per certos signantur tempora cursus;  
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.*

Et Juvenalis (i), dum præclare monet, stultè inter Deos collocatam fuisse Fortunam; nam si prudentia potius, quam temeritate quadam, & cœcitate mentis res humanæ gubernarentur, obliteret penitus è mentibus hominum Fortunæ nomen: fieretque sibi quisque illa Fortuna, quam sibi parasset, neque magnopere vel de occulta potentia syderum, vel Dei Clementia, ac Providentia, vel de occultis, naturæ causis quereremur. Ceterum quoniam homines multa ut plurimum agunt inconsideratè, & ut Horatius (k) ait, propter suam inscitiam, vel stultitiam non patiuntur,

*Iracunda Jovem ponere fulmina.*

Quin potius hæc illorum mentibus insidet, sapius illi admonendi sunt (l):

*Nullum nomen abest, si sit prudentia, sed te  
Nos facimus Fortuna deam, cœloque locamus.*

43 Neque existimo aliud sensisse Plinium nam licet de Fortunæ, in mundi rebus potestate, pluribus agat, ad Casarem Vespasianum scribens, id magis vulgi errore, quam veritate niti, satis demonstrat, dum inquit (m): *Toto mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur: sola laudatur, sola arguitur, & cum convitiis colitur, volubilisque, à plerisque verè & cæca etiam existimata, vaga inconstans, incerta, varia, indignorumque faulrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola utramque paginam facit, &c.*

44 Quo etiam sensu illud Salomonis (n) accipi debet: *Vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, nec Fortium bellum, nec sapientium panem, nec Doctorum divitias, nec Artificum gratiam: sed tempus casumque in omnibus.* Et enim sub Sole se id vidisse inquit, quia homines ita communiter loqui, vel sentire solent. Supra Solem enim, ut bene D. Thomas (o) exponit, longè se res aliter habet, nihilque est à casu, aut præter intentionem, & præscientiam divinæ voluntatis, potestatis, ac providentiæ, quæ omnia ab omni æternitate præscivit, omnia labente ævo moderatur, & in destinatos, certosque fines dirigit, dum sua cuique tempora, suas humanis conatibus varietates præstituit, ut vel sic ejus immemores, ab inopinatis casibus, adversisque eventibus discant, suis viribus non nimium tribuere, sibi persuadeant, à divino nutu pendere omnia.

45 In quam etiam doctrinam tandem consentit Claudianus (p), licet anxium eum redderet, quod injustos interdum, & improbos ad culmina rerum crescere cerneret, cum in alium, inquit, ferantur, *Ut lapsu majore ruant.*

Et elegantius adhuc Joannes Barclajus (q), concludens, fictionem Fortunæ in id ab hominibus adinventam ut qui de Deo, Deique operibus, qui omnium est Auctor, & Rector, obloqui pertimescerent, in hanc sive sævientem, sive ardentem, dolentiæ, invidentiæve suæ virus evomere possent. Sciant igitur Reges, se ita super homines esse, ut tamen homines sint, & dum suæ fortunæ splendore superbiunt, illius rotas, & vitream fragilitatem, vel ex nostro Emblemate discant, & adversus adversos & inopinatos rerum humanarum successus, se, divini judicii, ac providentiæ consideratione præmuniant, & ut graviter, ac philosophicè, inò verè & Christianè, suum Lucillum Seneca (r) in simili instruit, illud frequenter, & sine querela inter singula damna dicant, & repetant, *Deo aliter visum est: & quoties alter quàm cogitabant, e venerit; Deus meliora: sic enim composito animo, nihil accidit: sic autem componetur, si quid humanarum rerum varietas possit, cogitaverint.* EM-

(g) Natal Comes in *Mytolog.* pag. 341.

(h) Manil. lib. 4. *Astronom.*

(i) Juven. *Satyr.* 10. *Juncta exponit. Natal. Comit. in Mytol.* pag. 342.

(k) Horat. 1. *Carm. Od.* 3.

(l) Juvenal. ubi supra.

(m) Plin. in *Prat. de natur. hist. ad Vespas.*

(n) Salom. *Eccles.* 9. 11.

(o) D. Thom. 1. *part. quest.* 103. *art.* 5. *ad 1. & quest.* 5. *de ver. art.* 5. *Pineda in hunc locum alias expositiones adducit ex pag. 894.*

(p) Claud. lib. 1. in *Ruffin.*

(q) Barclaj. in *Argenid. lib.* 4. *ex pag. mibi 701.*

(r) Senec. *Epist.* 98.

EMBLEMA VI  
ADVERSORUM LEVAMEN.



*Plaustra catenati referunt Sesostria Reges,*

*Templa salutato cum petit alta choro.*

*Ex victis unus cum versus lætior esset,*

*Cur ita nunc ridet? Sic ait ipse Duci.*

*Cerne volutatis radiis documenta rotarum,*

*Æthera libat apex: jam ferit apsis humum:*

*Regna rotant, Rex, Sceptra tenes, Ego vincula preno:*

*Vincla tenere vales, & mihi Sceptra licent.*

COMMENTARIUS.

1 **Q**UAM contrarium (ut vulgò dici solet) eadem sit disciplina (a), idem ipsum Helleborum, quo Principum superbiam ex splendente lenocinanteque Fortuna ortam, purgare curavimus, ex ejusdem inconstantia, & fragilitate, & fragilitate, vel ex meliori Antyciratractum (b), prodesse ipsis pariter poterit, ad sinistros illius casus leniendos ac tolerandos; cum æquè in adversis, atque in prosperis mutabilis, & fragilis sit (c), & quemadmodum, quos diù tulit, tandem abjicit, & ubi jam summa est, ipsa in se ruit; ita, criminis sui pertasa, quos valdè depressit extollere solet, & multos, alterna revisens, ludere, ut jam suprâ cum Virgilio (d) diximus, ludere, & rursus in solido collocare.

2 Qua de causa prudentissimè (ut solet) consulit Seneca: (e)

*Nemo confidat nimium secundis,  
Nemo desperet meliora lapsis.  
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho  
Stare Fortunam: rotat omne fatum.  
Res Deus nostras celeri citatas  
Turbine versat, &c.*

3 Et vel in Adagium (f) transire meruerunt Hesiodi illa ac Theocritii carmina,

*Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca.  
Nunc pluit, & claro nunc Jupiter æthere fulget.*

Quibus consonans Sophocles (g), ubi de hac rerum omnium vicissitudine pluribus egit, sic concludit,

*Siquidem his statim, illis post pusillum temporis  
Fucunda que fuerant, amara & tristia, &  
Ingrata dudum, grata fiunt invicem.*

(a) Aristot. 7. *top. cap.* 1. *leg.* 1. *D. de iis, qui sunt sui, vel alien. jur.*

(b) Erasm. in *Adag.* *Naviges Antyciram.*

(c) Sup. *Embl.*

(d) Ex Virgil. *Æneid.* 11.

(e) Senec. in *Thyres.*

(f) Erasm. in *Adag.* *pag. mibi 261.*

(g) Sophoc. in *Oedip.* *Colon apud Erasm. in Adag. Omnium rerum vicissitudo est, pag. 262.*

Et Virgilius in suo eleganti carmine de Fortuna (b), sic finiens:

*Nec quos clarificat, perpetuū fovet,  
Nec quos deseruit, perpetuū premit  
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica.*

4 In hunc scopum, nostrum hoc Emblema collimat, sumptum ex historia, quam de Sesoostris Ægyptorum Rege, septima post Merim Sobole, Herodotus (i) & alii (k) commemorant Qui (ut in sacra Pagina (l) habetur) Salomone defuncto, Hierosolymam cepit, Asiae magnam partem, Thracas ac Scytas devicit, & in India ultra Gangem processit. Adeo his victoriis tu nidus, & elatus, ut se Regem Regum, & Dominum Dominorum appellaret, Regnoque impotenti insolens, eò ferocia, & superbia processerit, ut inter plures Reges, quos in vinculis detinebat, annis singulis, quatuor pluresve sortiri juberet, qui more ac modo quadrigarum, ipsum, splendido, aureo, gemmatoque curru consistentem ac triumphantem, per omnium ora in Templum, locavē alia, quæ gestiens lustrare volebat, vectarent, ut & Lucanus (m) ostendit, dum dixit:

*Venit ad Occasum Mundique extrema Sesoostris,  
Qui Pharios currus Regum cervicibus egit.*

Quod cum crebrius fieret, accidit, ut celebri quadam die, qua in Templum sacrificaturus pergebat, unus ex illis Regibus, oculis in rotam conversis, assidue, & hilariter ejus volubilitatem intueretur. Quem cum Sesoostris de hilaritatis, risusque causa rogaret, & cur tam frequenter oculos in rotam obvolveret? Respondisse ferunt, *Admiror, & cum stupore, atque alacritate rotam considero, dum tam instabili modo volvi, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem remissa sublimantem conspicio.* Quæ Responsio, & humanarum rerum, cujus Index erat, vicissitudo, adeo ferocem alioqui ac superbum Sesoostris animum movit, & delinivit, ut deinceps ne Reges curru traherent, jusserit, & fortunæ inconstantiam suspectam, ac despectam habere cœperit.

5 Quam historiam sunt qui Cyro Regi Persarum tribuant, eique, quod ad superbiam spectat, plures alias Cressi, Cambysis, Saporis, Tamberlani, & aliorum adducere possem, & forsitan alio in loco adducemus (n); qui captos Reges sibi inservire fecerunt, pedibus proculcarunt, curribus pariter junxerunt (quod frequentissimum fuisse Lipsius (o) advertit) pro podio, seu scabello ad equos ascendendum, habuerunt; remigare cœgerunt, variisque aliis suppliciis, servitibus affecerunt, & humiliarunt.

6 Quod verò ad documentum attinet, Sesoostris per Regem victum, ex rotæ similitudine præsinitum, Paulus Diaconus (p), & Nicephorus (q) referunt, eodem planè exemplo commemorato, Theodorum quemdam delinisse Cajanum Avarum, Hunnorum, & Sclavorum Regem, cum Thraciam infestaret. Idemque Paulus Diaconus, & alii (r), recentius aliud, sed non minus memorandum, adducunt, de Gilimere Wandalarum in Africa Rege, qui cum à Belisario captus, cum conjuge, liberis, familiaque Regia, Constantinopolim ductus fuisset, ut ibi à Justiniano Imperatore in triumphum ageretur, ubi ad ipsum perlatus, eum in Hippodromo in alta sede constitutum, populumque circumstantem conspexit, veluti iniquæ suæ sortis oblitus, in plenum, & cachinabilem risum defluxit, & illud Ecclesiastæ (s), *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, submurmuravit. Cumque Justinianus, & adstantes reliqui, eum, ob nimium dolorem, mente alienatum existimarent, & risus causam percontarentur? *Rideo* (inquit) *Fortunæ vicissitudines, ut qui modò Rex fuerim, jam servitiam, & alterius pedibus obvolvī, imò & eos osculari compellar.* Quo audito, Justinianus, & humanæ vitæ conditionem, ac mutabilitatem æstimans, & agnoscens, ipsum statim vinculis solvi jussit, & tandem, cum omnibus suis, in Galatia quædam loca habitare concessit.

7 Porus quoque Indorum Rex, ut Plutarchus (t), & Quintus Curtius (u) scribunt, cum ab Alexandro Magno, qui eum vicerat, rogatus fuisset, quid ipse victorem statuere debere censeret? *Quod hic (inquit) dies tibi suadet, quo expertus es, quam sit caduca felicitas.* Sic Regem submonens, ut modestè sua Fortuna uteretur, memor, idem sibi accidere posse. Cui similis est, sed vulgatiore, historia, quæ de Cresso, & de Cyro ab Herodoto, & aliis refertur, de quo alio loco (x) latius agemus.

8 Et novior quidem, & magis ad rem nostram, illa, quæ apud Cedrenum (y) legitur, de Ludovico II. Galliarum Rege, qui cum Sultanum Agarenorum bello cepisset, nec ille unquam rideret, promissit Rex præmium, referenti Sultanum risisse: post biennium fuit, qui risisse nuntiavit.

(b) Virgil. si is est, in Carm. de Fortuna.

(i) Herod. lib. 1.

(k) Dionis. Sicul. lib. 1. cap. 4. Pat. David in orbita

probis. cap. 18.

(l) Reg. 3. 14. 16.

(m) Lucan. Phars. 10.

(n) Infra Emblem. 99. Theat. Beierlin. lit. R. pag. 330.

(o) Lips. in notis ad Paneg. Plin. pag. mibi 43.

(p) Paul. Diac. de rebus Rom. lib. 17.

(q) Niceph. lib. 18. Hist. Eccles. cap. 29.

(r) Diacon. Evagrat. Procop. & alii, apud Camer.

subc. lib. cap. 12.

(s) Ecclesiast. 1.

(t) Plutarc. in vita Alex.

(u) Curt. lib. 8. cap. 25.

(x) Infra dict. Emblem. 99.

(y) Cedren. & Suidas apud Casin. in Polistore Symb.

lib. 12. cap. 48.

tiaret, & testibus adhibitis confirmaret. Et tunc Sultanus de risus causa rogatus? *Quia* (inquit) *rotas currus viderim, quarum partes nunc supernè, nunc infernè ferebantur: inde animadverti: fieri etiam posse, ut qui nunc tuus jaceo, aliquando liber & Dominus possim evadere.*

9 Quam rem eventus comprobavit, ejusque veritatem, ac frequentiam satis testantur, tot exemplorum, variorumque Auctorum testimonia, quæ in superioribus (apud more, ex infinitis, quæ adduci poterant,) prælibavimus. Et quæ latè, & philosophicè de parvi faciendis, ob hanc instabilitatem, donis, damnisvè Fortunæ, disserunt Seneca (z) & Philo (a), & magis adhuc in nostrum finem Valerius Maximus (b), qui postquam Syphacis Africani Regis lapsum narravit, qui cum paulò ante inter Deos connumeraretur, eo claritatis evectus, ut validissimorum populorum tantum non arbiter victoriæ existeret, parvi temporis interjecta mora, catenatus à Lælio Legato ad Scipionem traductus est, sic subjunxit: *Cujusque dexteram Regio insidens solito, arroganti manu attigerat, ad ejus genua supplex procubuit. Caduca nimirum hæc & fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt, quæ vires, atque opes humanæ vocantur; Affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilitibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo statu Fortunæ, huc atque illuc acta, quos insublime extulerunt, improvise decursu destitutos, profundo cladum miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari, neque dici debent bona, quæ ut inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent: propensiore favore primo delinitos, majore postea malorum cumulo oprime solent.* Plautus (c) etiam, veluti respiciens ad hanc Regum in servos & captivos mutationem, de qua sermonem habemus, ita inquit:

*Sed videri Fortuna humana fingit, arctatque ut lubet.*

*Me, qui liber fueram, servum fecit, & summo infimum.*

*Qui imperare insueveram, nunc alterius Imperio obsequor.*

Juvenalis (d) quoque, hoc totum ad Astrorum vim referens, ita loquitur,

*An ne aliud quam*

*Sydis, & occulti & miranda potentia Fati,*

*Servos Regna dabunt, captivis fata triumphos.*

10 Idem latè prosequitur Manilius (e), lectu dignissimus, qui Fato omnia regi & nihil in rebus humanis stabile esse, pluribus probare contendens, inter alia sic ait,

*Tunc & opes, & Regna fluunt, & sapius orta*

*Paupertas; Artesque datæ, moresque creati,*

*Et vitia, & clades, damna, & compendia rerum.*

*Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,*

*Fortunamve suis invitam prendere votis,*

*Aut fugere instantem, sors est sua cuique ferenda.*

11 Et in hoc respicientes Græci, Pitana urbem præoculis habentes, quam à Pelasgis in servitutem redactam, Erithrai in libertatem pristinam vindicarunt, veluti pro Adagio dicere solebant, *Pitana sum.* Quo, ut Zenodotus apud Erasmum (f) indicat, eos significabant, qui in extremas redacti calamitates, ab iisdem denuò in antiquam, & desideratam felicitatem restituntur.

12 Sed cum de Rotarum exemplo, seu similitudine, nostrum Emblema conficiatur, magis ei conveniet, illud Homeri (g),

*Per multis volvetur adhuc Rota mota Caballis.*

Quod proverbialiter etiam protulisse videtur, & in eundem scopum dirigitur, perinde enim est ac si Magnus ille Poëta dixisset, Multum adhuc temporis ad triumphandum, gloriandumvè de opere aliquo restate, multasque rerum, & semper rotantis Fortunæ mutationes timeri, aut incidere posse; quia ut & Tibullus (h) dixit:

*Versatur celeri Fons levis Orbe rotæ.*

Et Ammianus Marcellinus (i): *Quibus beatus versa rota Fortunæ, ante vesperam potest esse miserrimus, Et melius Seneca (k): Nunc nunc quoque, (etiam parum sentitis) turbo quidam animos vestros rotat, & involvit; fugientes, petentesque eadem & nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit.*

13 Et eodem simili utens D. Fulgentius (l), Ixionis fabulam explicans, qui à Poëtis ad inferos, ob sua scelera detrusus, & illic rotæ volubili alligatus, perpetuo volutari fingebatur, sic, rei, de qua agimus valdè coherenter, scribit: *Qui quidem Ixion, parvo tempore scelere Regnum adeptus, de hoc Regno expulsus est. Unde eum ad rotam damnatum dicunt, quod omnis rota vertigo, quæ superiora habet, modo dejiciat. Ergo ostendere hic voluerunt, quod omnes, qui per arma, atque violentiam Regnum affeant, subito ejectiones, subito elisiones sustineant, sicut Rota, quæ stabile non habet aliquando cacumen.*

14 Herodotus (m) quoque commemorat, quòd cum Cressus, in libera custodia apud Cyrum

E

(z) Senec. lib. 6. de benef. cap. 3.

(a) Phil. in lib. quod Deus sit immutabilis, pag. 248.

(b) Valer. Max. lib. 6. cap. 9. in fine.

(c) Plaut. in captiv.

(d) Juven. Satyr.

(e) Manil. lib. 4. Astron. in princip.

(f) Erasm. in Adag. Pitana sum, pag. mibi 264.

(g) Homer. apud Erasm. in Adag. Multa rota volvetur, pag. 262.

(h) Tibul. lib. 1. Eleg.

(i) Marcel. lib. 26.

(k) Seneca de vita beata, cap. 28.

(l) Fulgent. lib. 2. Mytolog.

(m) Herod. lib. 1.

detentus, eum videret, magno ardore, & apparatu bellum adversus Reginam Scytharum Tomyrin instruente, his illum verbis commonefecit: Si tibi esse videris immortalis, & ejusmodi exercitui praeesse, nihil est opus, ut meam dicam tibi sententiam: sin verò te quoque cognoscis hominem, & istis ejusmodi praeesse, illud in primis discito: Humanarum rerum circum esse, qui rotatus, semper eosdem Fortunatos non sinit.

15 Fuit quippè Rota semper apud Antiquos symbolum instabilitatis rerum humanarum, & vel hac de causa Fortunae applicata, ut in superiori Emblemate vidimus, & latius ostendunt, & illustrent Pierius (n) Valerianus, & novissimus, & diligentissimus Aloisius Novarinus (o), qui integrum de hoc syntagma conscripsit, cujus scripta, sive scrinia suppilare nec libet, nec vacat. Praesertim cum ad instituta à Nobis sermonis probationem, praedicta sufficiunt, & illud evidentius reddat Aegyptiorum, & aliorum consuetudo, qui ut Plutarchus (p), Clemens Alexandrinus (q) & alii recensent, in Templorum adytis rotas constituere solebant, ut ad ea accedentes, hujus variationis admonerentur, & se ad Dei voluntatem, tam in adversis, quam in prosperis accommodarent.

16 Et huc etiam respexisse videatur Regius Psalter (r), dum Deum precatur, ut superbos Reges, & suo infestis populo, Ponat ut Rotas. Et Rota illa mirabilis, quam in medio alterius Rotae se vidisse Ezechiel (s) Propheta pluribus memorat. Quod licet Sancti Patres diversimodè interpretentur, Apollinaris tamen, Policronius, & alii apud Pradum (t) ibidem, de hoc mundanarum rerum circuitu, & perpetua vertigine explicant; in qua, ut in Rotis illis Ezechielis, spiritus vitae esse dicitur, id est Domini, cum omnis earum motus ex ipsius voluntate dependeat, prout in deductione & reductione Populi Israel ad exilium contigit, quod per easdem rotas significari Divus etiam Justinus Martyr (u) insinuat.

17 Quemadmodum & Mystica illa Scala Pithaci Mitilenei, Templo dicata, nihil aliud denotabat, quam vitam hominum in perpetuo ascensu, & descensu versari, ut Diogenes Laertius (x) scribit. Quod & ipsum in illa alia Scala, quae Jacob apparuisse in Genesi (y) dicitur, pariter significatum fuisse, observat Philo Judeus (z), sic inquires: Res humanae habent naturalem quodammodo Scale imaginem, propter cursum inaequalem inconstantemque. Haec est via rerum humanarum, acclivis declivisque, incertis obnoxia casibus.

18 Discant igitur Reges, & Principes ex iis Monitis & Exemplis, neque in prosperis superbire, neque in adversis animo cadere, cum ita parum Regnum à servitute, & servitutem à Regno distare cognoscant, & hanc in humanis rebus omnibus, secundum Senecam Patrem (a), legem esse, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderit, relabatur, & lapsa, non minori velocitate in altum surgere solet.

19 Audiantque Paulum Aemilium Consulem Romanum, sic apud Livium (b), post Perseum Macedoniae Regem devictum, loquentem, filiosque & milites suos admonentem: Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hoc praecipue dico Juvenes. Idem in secundis rebus nihil in quemquam superbe, ac violenter consulere decet, nec praesenti credere Fortunae, cum quid vesper ferat, incertum sit. Necnon verba illa Annae (c), Samuelis Prophetae matris: Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleat. Suscitatur de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriae teneat.


20 Job (d) quoque, qui & ipse Rex fuit, eosdem admonens Reges: Deum (inquit) balteos Regum dissolvere, & praecingere fune renes eorum. Quod (ut ibidem, post alios, Pineda Noster exponit) perinde est ac si diceret, Deum liberare, ac solvere solitum vinculis eos, quos Reges, ac Tyranni captivos detinent. Vicissimque, commutata sorte, ipsos Reges, ac tyrannos in vincula conjicere, funibusque constringere. Quod quantum ad nostri Emblematis illustrationem conducit, nemo non videt.

21 Praesertim si & illum alium ejusdem Jovi (e) locum addamus, quo has catenas, funes, & vincula, sceleratis Regibus elatisvè comminatur, & à solio, quod eis velut in perpetuum Deus concedere visus fuerat, vel ex his criminibus deturbandos. Sic nimirum inquires: Deus Reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. Etsi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt. Usque adeò hic Dominus, quem, ut meliorem, ac certiorum Fortunam colere, ac timere debemus, juxta supra deducta, in tanta rerum humanarum, sursum ac deorsum euntium, mutatione, Nos ex solo ipsius nutu pendere, monitos voluit, & nihil privatim, nihil publicè stabile esse, ac vel nullo extrinsecus impellente, cladis sibi causam ipsam felicitatem invenire, maxime in illis, qui ea intemperanter utuntur.

EM-

(n) Pier. in Hierog. lib. 39. fol. 288. & seq. (o) Novarin. in elect. sacris, lib. 2. de circuitu sacro, cap. 4. & seq. ex pag. 176. (p) Plutar. in Numa. (q) Clem. Alexand. & alii apud Novar. sup. (r) Psalm. 82. 14. ubi Lorin. plura ad rem nostram factentia congressit. (s) Ezech. cap. 1. (t) Prad. sup. Ezech. 1. tom. pag. 23. (u) Justin. Martyr. apud Prad. ubi supra. (x) Laert. in Pitt. (y) Genes. cap. 28. (z) Phil. lib. de somn. (a) Senec. Pater 2. controv. cont. 1. (b) Livius lib. 45. & Plut. in Paul. Aem. (c) Reg. 1. cap. 2. (d) Job 12. 18. (e) Idem 36. 7.

EMBLEMA VII  
LABITUR, QUOD DEO NON HAERET.



Nobile cur valido labascit ab assere pondus?  
Haeserat haud post, scilicet, ille satis.  
Sic Rex, qui Superis non totus adhaeserit, ille  
In praecipis se se, cunctaque Regna dabit.

COMMENTARIUS.

1 QUAM vanè & erroneè Romani aliqui Imperatores (a) Fortunam Auream, & Augustam sibi adrogarint, eamque ut Propriam, Manentem, & Haereditariam, sive Translatitiam, filiis, successoribusque suis tradere, aut relinquere destina-verint, in superioribus tetigi (b). Nec minùs vecors fuisse videtur Servius Tullus, qui, ut Plutarchus memorat (c) sibi cum Fortuna Consuetudinem intercedere praedicabat, & per fenestram quamdam in suum cubiculum ad se delabi. Ob quem tumorem in Capitolio: Fortunam Primigeniam, & obsequentem dedicavit. Aut idem ipse Plutarchus (d), qui Romanis blandius, vel Maronianum illud secutus, qui de eisdem ait,

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,  
Imperium sine fine dedi.

Fortunam inducit, trajecto sive transmissio Tiberi, ad Palatium appropinquasse, alas deposuisse, talaria exuisse, atque infideli, & versatili illo globo, seu vestigia fallente pila, missa fac-

E 2

(a) Spart. in Sever. Capitol. in Antonino Pio. Causa. (c) Plut. in lib. de fort. Rom. Dio lib. 58. Caus. dist. c. 27. in Polist. Symb. lib. 2. cap. 27. & 29. (d) Idem Plut. supra & Pier. in Hierog. lib. 39. fol. mibi 288. & Virg. Aeneid. 1. (b) Tetigi supra Emblem. 5.